

38

DISPV TATIO IVRIDICA
DE
Legatis & Fideicommissis.

Q V A M

D. B. I.

Permittente Magnificâ atque Amplissimâ, in florentissi-
ma Batavorum Academiâ, facultate Iuridicâ.

P R A E S I D E

NICOLAO LANGIO DITHMARSO,

Nobilissimis atque Eruditissimis suis collegis
executiendam proponit,

MICHAEL RASCHIUS Dithmarsus.

Addiem 19. Septemb. Hora locoq; consuetis.



LUGDVNI BATAVORVM,
Excudebat Henricus Ludouici ab Haestens.

ANNO CLO. ICCCXII.

Viris

Amplissimis, Clarissimis atque Excellentissimis

Dn. IOANNI RASCHIO Borealis Dithmarsiae Quæstori.

Dn. PETRO FINCKIO Med. Doct. & Lunæburgensem Medico Ordinario.

Dn. IOANNI LVCHTENIO, Schlesviga Scribæ officiali.

Dn. LAVRENTIO RASCHIO.

Parenti, Affinibus, & Patruo mihi summā obseruantia prosequendis,

Hanc Disputationem

Studiorum meorum & debitæ obseruantia
interpretæ

Consecro

MICHAEL RASCIUS

Respondens

DISPV TATIO IVRIDICA

D E

Legatis & Fideicommissis.

T H E S I S . I.

DE Legatis & Fideicommissis quædam proposituri ; non incongruum erit si de exæquatione illorum prius agamus ; eamque Iustiniano asscribamus.

§ sed non 3. Inst. h. 1. 2. C. com. deleg. *Quid verò adl. 1. de legat.*
1. an eam in totum Vlpiani esse negabimus ? ut faciunt Vigl. Duaren. Non
puto. *Quare enim potius Vlpiani quam Pauli, Modestini, ino vel Imperato-*
ris nomen appositorum ? Repugnat ratio in 1. 2. § tanta 10. C. de vet. jur.
Enucl. magis probabiliter diceretur pro parte Vlpiani , pro parte Tribonianii
esse d. l. 2. § tanta. Sed fuisse aliquam exæquationem etiam tempore Vlpiani,
ex 1. quæ sub conditione 8. § 2. & 3. de cond. Inst. certum est. Omissis
multis DD. distinctionibus. Cum Hotoman. Gentile & Arumæo statuo
Vlpianum in d. l. 1. regulam constituere, quæ dum suis exceptionibus restrin-
geretur Iustinianum illas sustulisse, & regula accommodasse. Nulla igitur hodiè
differencia est inter Legatum & Fideicommissum ; Legata & Fideicommissa per
omnia exæquata sunt ; hac regula est ; & nullas hodiè exceptions admittit ; ita
ut etiam Legatorum & Fideicommissorum una sit , & esse debat, hodiè definitio.
Verba Iustiniani satis clara sunt in d. l. 2. C. comm. deleg. ibi quod non
habet naturam, &c. Ibi Fideicommissum intelligatur. Andr. Gerhard. de te-
stamentis disp. 6. th. 5. 6. & 7. Dominic. Arum. disp. Inst. 9. th. 14.

II.

Definiuntur Legata vel Fideicomissa (a) dona-
tio quædam (b) a defuncto reicta (c) ab herede præ-
stanta (d).

A ij

a) § 1.

a) § 1. Instit. hoc tit. *Extat alia Modestini in l. 36. de legat.* 2. *alia Florentini in l. 116. de legat.* 1. Sed facile explicari possunt & debent ut cum hac Iustiniani definitione conueniant. Et hoc forsan melius quam si ad diuersi temporis respectum configiamus cum omnia que in ff. scripta sunt, perinde accipienda sint quasi non a Modestino, Florentino &c. Sed Iustiniano ipso profecta essent l. 1. § 6. in fin. l. 2. § tanta 10. C. de vet. jur. Encl. Andr. Gerhard. dec. 10. q. 1. juncto Vulteo 1. disc. 18.

b) Hoc pronunciatur à Florentino d. l. 116. hisce verbis; alicui collatum. Dicunt autem donatio quædam, ut intelligatur esse donationis species, neque resistit hoc verbum Fideicommissio, ut quidam putant. Per verbum enim donandi etiam Fideicommissum relinqui posse apparet ex l. miles 75. de leg. 2. Et licet ita relinqui non possit, an propterea non dicereetur donare, ut & liberalitatem exercere qui Fideicommissum relinquit? Alberic. Gentil. 1. Epist. 5.

c) Hoc explicat Modestinus per bac verba: in testamento relicta. Testamenti itaque nomen apud Modestinum & Testatoris apud Florentinum non strictè sed latè & in genere accipiendum est ut etiam codicillos & quamvis vliam voluntatem comprehendat. Andr. Gerhard. d. disp. 4. th. 7. & d. dec. 10. th. 1. in fin.

d) Sunt qui bac verba omnino exterminanda esse censem ut Duaren. in pr. de leg. 1. Walth. 1. misc. 7. Hotom. Wesenb. Borcholt. add. d. § 1. & alij. verum illis propter concordem exemplariorum fidem & lectionem non facile assentiendum puto. Confirmat me etiam Florentinus in d. l. 116. dum inter cetera dicat, *Legatum esse quod de hereditate delibatur ut praestetur; non vero praestari quicquam potest de hereditate, nisi ab eo qui cum habet: is autem quis alius quam heres est?* Et licet legata interdum à testatore viuo l. Lucius 22. de leg. 2. interdum à legatario, item herede heredis, vel legatarij praestentur l. si fuerint 5. in fin. cum l. seq. de leg. 3. Sufficit tamen ita legatum ab initio relinqui ut ab herede praestetur; quo facto, nihil refert si ab ipso testatore praestitum fuerit; nec cunctus iste naturam legari immutat. Donell. 8. comm. 1. Idem videmus in matrimonij definitione pr. Instit. de patr. pot. & ibi Interpp. Gentil. 2. de Nupt. c. 8. Pluribus haec de re Arum. d. Inst. 9. th. 1.

III.

Legata & Fideicomissa relinquere possunt omnes qui testandi jus habent.

1. 2. de legat. 1. l. 1. in fin. pr. ibi quia nec testari potest. de legat. 3. l. 6. § 3. de jure codicill. § 3. tit. 25. in frag. Vlp. *Ubi dicitur fidei-*
commis-

commissum relinquere possunt, qui testamentum facere possunt, licet non fecerint.
Nam intestatus quis moriturus fideicommissum relinquere potest.

IV.

Relinqui possunt ijs qui heredes possunt institui.

§ legari. 24. Inst. h. § in extraneis 4. vers. testamenti autem Instit. de hered. qualit. Ratio huīus est, quod iura testamētorū ut & legatorū sīnt iuris ciuilis 1. 3. de testamētis. & ob id communia ēsē nequeānt, qui neque actiuam, neque passiuam testamēti faſtioneū habent. 1. si seruo 101. § 1. de leg. 1. 1. 4. de his quæ pro non. Hinc incertis personis olim legata relinqui non poterant § incertis 25. hic. Excipiebatur tamen causa pia. Paul. 3. sent. 6. 1. 24. 1. 28. C. de Episc. & Cleric. Hic solent DD. quārere an quod pluribus studiorū causa relīctū est possit id uni conserri? Neg. Myns. 5. obseru. 67. per l. 12. ff. de testib. c. pluralis de Reg. Iur. in 6. 1. ille § fin. delegat. 3. Treut. 2. disp. 13. th. 2. lit. d. Et recte.

V.

Legari possunt res omnes quæ commercio hominum non sunt exemptæ (a) corporales (b) & incorporales, (c) præsentes & futuræ (d) propriæ (e) communes (f) & aliae (g).

a) § non solum 4. Inst. hoc tit. 1. cum seruus 39. § fin. de leg. 1. 1. mortuo 49. § labeo 2. de leg. 2. Commercium hic accipimus prout accepit Vlp. in frag. tit. 19. § commercium 4. Ius emendi, vendendique, b. e. de re contrahendi. Ceterum si heredi vel alij cuidam homini rei legata non est commercium tunc heres vel ipsam rem, si comparari posse, vel eius aſtimationem præſtabit d. 1. mortuo bove 49. § sed Proculus 3. de leg. 2. Si legatarius rei legata non habeat commercium, nec eius aſtimatio debetur d. 1. cum seruus 39. § 1. & fin. de leg. 1. d. 1. mortuo 49. § 2. de leg. 2. arg. 1. multum 34. de Verb. Oblig. Neque mulum facit 1. sed si 40. de leg. 1. Siquidem illa loquatur non de re cuius commercium fideicommissario non est; sed cuius possidendi inre deſtituitur; eiusque exemplum in legatorio est in 1. 114. § 5. de

legat. i. Gerhard. d. disp. 6. th. 26. Non itaque hic inter legata & fideicomissa cum Duarenio; non inter testatorem scientem & ignorarem cum Roberto distingendum; neque opus est Cujacij correctione.

b) § 21. Instit. h. § 12. 18. 19. 20. 22. eod. tot. tit. de pen. leg. de supell. leg. &c.

c) § 13. 14. 15. tot. tit. de vsl & vsufr. leg. de feru. leg. de dot. præleg. de opt. vel. aliet. leg. &c.

d) l. 15. 17. de leg. 3. § 7. Inst. h. l. 24. in pr. de leg. i. Quamvis autem rerum futurarum non sit determinata veritas; huicmodi tamen legata mere futura non sunt, sed talia quibus tacita conditio inest d. § 7. d. l. 24. l. 1. in fin. de condit. & demonstr. qua conditio cum extrinsecus, non ex testamento veniat, reuera conditionale legatum non facit. l. 99. eod.

e) Res vero Legatarii propria ipsi legari nequit § 10. Instit. h. l. proprias 13. C. eod. Ratio eius est, quod id quod semel alicuius est, amplius eius fieri non possit l. possideri 3. § ex plurimis 4. de acquirend. poss. l. non ut ex pluribus 159. de Reg. Iur. Et hoc verum est, licet post testamentum factum alienavit, sive res ipsius esse desit l. cætera 41. § 2. de leg. i. Legatum enim quod ab initio non valet tractu temporis non conualescit l. i. de R. Cat. l. 29. & l. 201. de Reg. Iur.

f) Quo tamen casu pars saltē quae testatori fuit legatario competit, l. 25. de Verg. Sig. l. 74. de leg. 3. l. 5. § 1. de leg. i. l. si domus 71. § vlt. de leg. i. Si testator partem ex socio deinde redimat; eam etiam legatario cedere cum Praeceptore meo Dn. Bronchorst. cent. 3. aff. 55. verius puto. per l. 8. & l. 24. § 2. de leg. i. l. 10. de leg. 2.

g) § non solum 4. Instit. h. l. cum alienam 10. C. de leg. i. 39. § 7. de legat. i. Ita tamen res aliena debetur ut heres cogat eam redimere & prestare, vel si redimere non possit, estimationem eius dare d. § 4. Deinde hoc etiam notandum quod legatum rei alienæ tunc demum procedat si testator sciens alienam legavit; d. § 4. vers. quod autem si ignorans, non valet, nec debetur estimationis nisi sit coniuncta persona d. l. 10. c. hic. Quod si tamen heredis sint res legata indistincta valet legatum sine scierit testator sive ignorauerit. Heres enim & defunctus una persona esse censetur Nou. 48. in fin. præf. textus est in l. si quis inquilinos 112. § 1. l. si tibi 86. § 3. deleg. i. Andr. Gerhard. d. disp. 6. th. 24. & seqq. juncto Arum. d. Inst. 9. th. 3. In rebus hostiis legandis placet illa distinctio utrum res apud hostes existens aliquando nostraruerit, necne; illic legatum semper jure post liminij subsistit; l. 9. l. 98. de leg. i. l. vlt. de act. emph. hic si commode emi possit. l. 104. § 2. de leg. i. Dn. Praeceptor Bronchorst. 3. Enant. 52. Arum. d. disp. 6. th. 4.

Legata porro relinquuntur aut purè, (a) aut sub conditione (b) aut in diem, (c) aut sub demonstratione (d).

a) *Cum nec dies, nec conditio adjicitur l. 1. 1. 85. de cond. & demonst.*
l. 32. in pr. de leg. 2. Item cum in hered. vel legatarij arbitrium confertur
quod quasi conditionale appellatur in l. 11. § 5. de leg. 3. non enim tam lega-
tum quam eiusdem solutio in heredis confertur voluntatem. Et mortuo testatore
non est in arbitrio praestare nolle l. 41. § pen. de leg. 3. quod secus est in legato
conditionali. Cum quo non pugnat l. Senat. 43. § 2. de leg. 1. aliud enim est dies
solutionis; aliud ipsum legatum: aliud cum heres voluerit, aliud si heres voluerit.
Don. 8. com. 5. aliud etiam an ex mera & libera voluntate, aliud an ex arbitrio
tangam viri boni valeat. Dn. Praeceptor Bronchorst. 3. Enant. 48. Sed
quid si legatum in arbitrium extranei conferatur? pugnare hic videntur l. Sena-
tus 43. § 2. de leg. 1. 1. 1. de leg. 2. 1. 46. § 2. de fid. lib. qua n. omnes
sunt Vlpiani, cum l. nonnunquam 52. de condit. & demonstr. 1. 68.
de hered. Inst. 1. 65. de leg. 1. Vlpianus dicit in d. l. 1. & d. l. 43. nihil in-
teresse inter hec duo si Titius voluerit, & si capitolium ascenderit, Reliqui
negant. Varia hic DD. conciliationes de quibus Andr. Gerhard. dec. 10.
th. 3. Arum. disp. Inst. 9. th. 9. Placuit mihi semper illa quam Dn. Prae-
ceptor meus, Bronch. 3. Enant. 48. refert; quod in meram, liberam & absolu-
tam voluntatem tertij non recte relinquatur legatum; sed in arbitrium tertij, vel
per verba denotantia arbitrium recte conferatur; quia tunc legatum illo arbitran-
te efficaciter debetur, textus est qui sic debet intelligi, in d. l. 1. de leg. 2. vel
eo non arbitrante recurritur ad viri boni arbitrium l. ult. § sed etsi quis C.
comm. de leg. 1. si sic 75. de leg. 1.

b) tot. tit. de condit. & demonstr. *Conditionem dicimus qua aetius in*
casum aliquem differtur § sub conditione 4. § conditions 6. de Verb.
Oblig. que aut possibilis est & legatum ante euentum non cedit l. 5. quando
dies leg. & si legatarius ante moriatur nihil ad heredes transmittit l. 5. § 2.
Quando dies leg. Gail. 2. obs. 132. aut impossibilis est & pro non scripta
habetur l. 3. de condit. & demonstr. § 10. Inst. de hered. Inst. 1. 14. de
cond. iust.

c) *Qui si certus est, dies legati statim cedit, adeo ut defuncto testatore sta-*
tim debeatur l. 5. § 1. quando dies leg. sed ante diem peti non potest. l. 21.
cod.

ead. si incertus, nisi tempus obtigit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest. d. l. 21. in pr.

d) Sive causa, vel modo. Differunt autem Conditio, Demonstratio, Causa, Modus. Conditio est si Nauis ex Asia venerit; Demonstratio est: Fundum Tusculanum quem Scius mihi dedit. Causa est: Titius quia negotia mea admisstravit; Modus; ut monumentum mihi extruat Sempronius ei centum do 7^o Wesenb. in par. de cond. & demonst. n. 7. & seqq.

VII.

Legata insuper aut nominatim relinquuntur, aut generaliter. Legata re generaliter, siquidem Testator eam pluries habeat Electio penes Legatarium est nisi testator aliud sensisse appareat.

Per § si generaliter 22. Inst. h. Olim quidem distinguebatur inter Legatum damnationis & vindicationis ut in illo electio esset heredes; in hoc Legatarium. Hodie verò subtilitate ista sublata per l. 1. C. comm. de legat. cum vindicatio semper detur legatario, consequitur eidem electionem concedi oportere nisi testator expressis verbis aliud statuerit. Notanda tamen in hac electione est regula ab Vlp. l. 37. ff. de leg. 1. posita; nimurum nec optimum, nec pessimum sed mediocre à Legatario eligendum, & ab herede praestandum esse. Confirmatur hoc per l. si heres 110. de leg. 1. Dn. Praeceptor Bronchorst. 3. Enant. 49. Arum. d. disp. 9. th. 10. Si eadem res sapius legetur an pluries debeatur inter DD. non conuenit. Plerique tamen distinguunt inter speciem & quantitatatem legatam; ita ut si quantitas eadem sapius legetur pluries debeatur; sed si eadem species sapius eidem legetur; semel tantum l. 34. § 1. de legatis 1. Adhibito tamen latiore hac distinctione ut si uno testamento eadem quantitas relinquatur tunc semel solum debeatur (nisi legatarius probauerit defunctum multiplicare voluntate legatum) Si diuersis scripturis; pluries. DD. communiter. qua tamen ultima distinctio recte ab Arumæo reicitur disp. Inst. 9. th. 7. per l. si quis 22. d. leg. 3. ubi ita loquitur testator: Cui bis legauero semel deberi volo. Nec enim eam protestationem fecisset; si sine ipsa non credidisset bis deberi: itaque qui bis legat, nec protestatur ut semel debeatur, bis deberi sentit. Deinde si in eodem testamento primum maior, deinde minor summa legetur utraque debeatur l. 3. § cum Titio. 1. cum centum de adimend. leg. Ergo & si eadem summa mox legetur arg. 1. ult. ff. de Instrum. & instr. plures rationes addit Arum. d. loco.

VIII. Prae-

VIII.

Præterea res eadem pluribus vel conjunctim vel disjunctim legari solet (*a*) quo pertinet jus accrescendi: quod est jus (*b*) quo ex conjunctione (*c*) duorum vel plurium portio portioni personæ (*d*) accrescit, ad conseruandum hereditatem & voluntatem defuncti individuum.

a) § si eadem res 8. Inst. h. 1. planè 34. in pr. de leg. 1. l. un. § his ita 10. vers. non enim tantum C. de caduc. toll.

b) *Quod ponitur loco generis in definirione; in definito vero loco speciei.*
Non enim nouum est ut una eademque vox & generis & speciei locum obimeat. Sicuti in Iurisdictione & Adoptione. Sunt qui generis loco manuelint modum acquirendi ponere, sed hoc recte reiciunt à Seuio de jur. accr. lib. 1. cap. 4. in fin.

c) *Coniunctio Iuris accrescendi fundamentum est 1. 1. de usufr. accr. ita ut nullum jus accrescendi nisi inter coniunctiones confitente dicatur.* d. l. 1. l. si ex plurib. de suis & leg. 1. Et Proculo de leg. 2. Andr. Gerhard. d. disp. 7. th. 9.

d) *Omnino addendum vocabulum persona; usumfructum enim personæ accrescere (quicquid Suevius dissentiat. d. c. 4. in pr.) verba ill. sunt satis clara l. 33. § 1. in fin. de usufructu l. interdum 10. de usufr. accr. l. 14. § 1. de except. rei jud.*

IX.

Coniunctio tribus modis censetur fieri, Re tantum (*a*) Verbis tantum (*b*) Re & Verbis simul (*c*).

a) *Quando pluribus separatis diversis orationibus res una legatur: ut Titio Stichum do lego; Sempronio Stichum do lego. In hac coniunctione cum alter deficit, pars ipsius, atque ita totum legatum, ad alterum pertinet. textus est in § si eadem Inst. de leg. 1. re coniuncti 89. de leg. 3. l. 1. § interdum de usufr. accr. l. 26. § 1. l. 30. de cond. & demonstr. Verum en id fiat jure accrescendi, an vero jure non accrescendi inter DD. desceptatur; puto tamen cum Suevio*

uio faciendum ; qui juri accrescendi hoc in casu locum facit. Eo ipso enim quod non decrescit, accrescit. Si enim queratur quo titulo non decrescens illa portio acquiratur, necesse est ut respondeatur iure accrescendi. Atqui si saltus non decrescit, nihil eo nobis acquiritur, cum non actus nullus sit effectus. Pluribus hac de quaestione Suevius d. lib. 1. c. 5. per tot.

b) Quando duo eadem oratione ad res diuersas, vel potius eiusdem rei diuersas partes vocantur. E. G. Cajo & Manio Fundum Tusculanum ex aquis paribus do lego d. 1. 891. si quis 66. de hered. Inst. 1. huiusmodi 84. § quibus deleg. 1. 1. reconjuncti de leg. 3. Ut autem haec conjunctio comode fiat requiruntur particula idonea, tam disiunctiva quam aduersativa de quibus Andr. Gerhard. d. disp. 7. th. 22. 23. & 24. An autem in hisce ius accrescendi obtingat sunt qui negant omnino, sunt qui distinguunt; an testator celeritatis studio tales coniuixerit; an vero consilio consilio; hoc casu locum accrescendi esse; illo vero nequaquam. Utrumque recte refutat Andr. Gerhard. dec. 10. q. 4.

c) Qui eadem oratione simul ad eandem rem vocantur partibus non expressis E. G. Titio & Manio Fundum Tusculanum do lego d. § 8. 1. 85. deleg. 1. Et in hisce ius accrescendi locum habet d. § 8. 1. 41. de leg. 1. 1. 80. de leg. 3. 1. vnic. § 11. C. de. cad. toll. An vero ab initio, an vero concursu demum partes faciant intricata quaestio est. Quod tamen ab initio id fiat defendere hac vice cum Andr. Gerhard. d. dec. 10. th. 6. placet.

X.

Effectus legatorum est; transferre dominium (a) & parere actiones legati consequendi (b).

a) Et hoc statim à morte testatoris. 1. 64. de furtis. 1. si mulier 3. § si rem 2. ibi, quod dominium manfiscitur statim de leg. 3. Hoc tamen in quibusdam fallit. Andr. Gerhard. d. disp. 7. th. 48.

b) Videlicet actio personalis ex testamento: Vindicatio; & hypothecaria. 1. 1. C. com. deleg. § sed olim 2. Inst. hoc tit. 1. si seruus 108. § cum homo 2. de leg. 1. Dicta tamen actiones competunt si legata res sit propria; non vero si aliena. Rei enim alienae dominium testator in alium transferre non potest. 1. traditio 20. in pr. de acquir. rer. dom. & ipse Iust. in l. 1. C. com. de leg. ait intentare legatarios rei vindicationem etenim posse, quatenus liceat. Donell. 8. com. c. f. Et si legatum liberationis relinquatur actio ex testamento tantum, sine exceptio locum habet 1. liberationem 3. § 3. de liberat. leg. Schneid. in § sed olim 2. n. 29. I. hic. Via itaque executina legatario agere

non permittitur; Quia alias frustra Iustinianus hasce actiones concessisset. Weseimb in par. quod legatorum n. 7.

XI.

Infirmantur legata casu (a) voluntate testatoris (b) vel lege (c).

a) *Iisdem modis quibus testamenta infirmentur. Excipitur tamen hodie causus quo per inofficiosa querela non respondeatur, tunc enim evanescere institutione legata nihilominus debentur. Nou. 115. c. 3. in fin.*

b) 1. cum 32. § 3. de donat. int. vir. & vx. 1. 27. C. de fideicom. 1. 4. & tot. tit. de adim. leg. etiam si testator dixerit se revocare nolle 1. si quis 22. de leg. 3. l. Diuī § licet. de jure codicill. Voluntas enim ultima nullam obligationem inducit ante mortem; qua sola confirmatur, Gerhard. d. disp. 6. th. 65. Et hoc tacite fieri potest. 1. sicut adimi. s. 1. rem legatam. 18. 1. si quis § fin. 1. 11. & alijs multis textibus ff. de adimend. leg.

c) *Idque per Falcidiam & SC. Trebellianum. Quibus modis haec olim inter se distabant passim apud DD. videre est. Erat etiam illa differentia quod in quartam L. Falcid. imputabantur ea tantum que jure hereditario c. 1. piuntur; Ant. Fab. 6. coniect. 4. Fachin. 5. contr. cap. 15. In Trebellianicam Legata quoque & Fideicomissa Fachin. d. loco. Hodiè vero cum per omnia ex aquata sint legata Fideicommissis, quare in quarta deductione illud negetur? Cujac. 8. obs 4. Agitare solet hic illa questio an filius Fideicomissum grauatus duas quartas posset detrahere? Id quod tamen recte negatur per 1. iubemus C. ad SC. Trebell. 1. libertas 21. § filium ff. de ann. leg. Quia lex Falcidia constituit ut omnino liberum sit dodantrem bonorum legatis erogare & de eo disponere pro suo arbitrio 1. 1. ad 1. Falc. Eodem autem consilio & fine introducta est Trebellianica portio quo Falcidia, ne libera sc. testandi facultas ultra dodramen minuatur § sed quia in fin. Inst. de fid. hered. Hotom. ill. qq. 43. Vaud. 2. q. 32. Testator tamen ut Falcidiam ita etiam Trebellianicam prohibere potest, modo illud expresse fiat. Nov. 1. § si vero expressum juncto § sed quia hered. Inst. de fideic. hered. Dn. Praeceptor Bronchorst. 3. Enant. 58.*

F I N I S.